



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 6. Decretum Regis Angliæ adversus Lollardos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV.  
A.C. 1401.

§. VI.

*Decretum Regis Angliae contra  
Lollardos.*

Cum vero Lollardi, insuperhabita hac condemnationis sententia, suas hæreses ubique locorum disseminare pergerent, Henricus Rex eodem anno contra eos illud condidit decretum, quod paulo ante commemoravimus. In hoc Decreto sancitum est, ut ubicunque perversam suam doctrinam tueri deprehensi fuissent, caperentur, Episcopo Diœcesano tradendi; si vero in defendendis suis opinionibus contumaces persisterent, e gradu suo dejecti, a judice sacerdotali puniendi darentur. Walsinghamus in vita Henrici IV Angliae Regis testatum reliquit, hanc legem executioni mandatam fuisse in quodam ex his sectariis simplici opifice, qui scandalosam hanc tenebat propositionem, scilicet, quod Corpus Christi realiter in Eucharistia non existat, sed id, quod in ea sumitur, nil nisi nescio quid inanimatum sit, minus æstimandum, quam busonem quemdam aut araneam, cum ista saltem forent animata. Postquam igitur blasphemus iste judicio sacerdotali subjectus fuerat, dolio ferventis olei pleno injectus misere periit, errori suo pertinaciter immortuus. Jam percipiamus

Walsing.  
p. 339.

piamus articulos, quos idem Scriptor in Sæcul. XV.  
allegato opere Lollardis attribuit.

A.C. 1401.

§. VII.

*Lollardorum errores.*

Docebant Lollardi, Sacraenta eo modo, quo in Ecclesia Romana administrantur, nil nisi mortua signa esse; nulliusque valoris; Virginitatem & Sacerdotum cælibatum non esse status a Deo approbatos, ac proin, Virgines, Sacerdotes, Religiosos si salutem consequi velint, vel ad nuptias, vel saltem ad nubendi propositum teneri; secus agentes, fore homicidas, utpote sacrum semen destruentes, unde altera consurgeret Trinitas, atque numerum salvandorum, aut damnandorum interrumpentes; Solam vero voluntatem, qua Vir & mulier invicem nubere statuerent, ad actuale matrimonium jam sufficere, nec aliam Ecclesiæ obedientiam esse præstandam; ex quo consequeretur, numerum conjugatorum longe majorem dici debere, quam crederetur; Ecclesiam esse synagogam Sathanæ, hancque ob causam tempa ad adorandum Deum ab eis non frequenti, nec ullum recipi Sacramentum, præcipue S. Eucharistiæ, quæ, juxta ipsos, nil nisi frustum panis mortui esset, turris ac pinaculum Anti-Christi; Si haberent

A 5 puerum